

niarum Rege fœdus non amplectimur ; inutili pacis cum hoste conficiendæ spe detinemur ; atque interea non satis viribus ad bellum gerendum instructi nos ipsi sumus ; & aliorum Principum auxilia hebescere patimur , dum hostium terrestres , maritimeque vires in immensum fere augentur , ditionibusque nostris grave atque exitiale bellum interminantur . Utinam vero , cum primum de societate ineunda agi cœptum est , expeditioribus consiliis in illam incubuissemus . Nunquam hoc deventum esset , ut veluti fluctibus jactati , satis tuto loco consistere nequiremus . Viribus enim non modo , sed fama quoque ipsa iſti fœderis hostes perculsi , animi quoque nostris adjecti forent ; neque eas perpeſſi clades fuisset , quarum reminisci non absque ingenti dolore , ac lacrymis possumus . Nunc vero eo loco res sunt , ut nisi quamprimum subscribendi fœderis legatis mandata demus , omnia in pejus casura sint . Quis enim ignorat , a nobis cum potentissimo , atque acerrimo hoste bellum geri , cujus ad impetum excipiendum impares admodum sumus ; atque ut copiae , navigia , pecuniæ modo nobis suppetant , non ejusmodi tamen sunt , ut Selymo , cui tot regna , ac provinciæ parent , quæ militibus , commeatu , maritimo terrestrique apparatu abundant , nisi christianorum Principum subsidiis freti , diutius resistere possimus ? Est ille sane , qui si singulos adoriatur , difficulter vinci , ac superari queat ; verum sociatis armis , certa spes victoriæ manet . Quid enim magis verentur hostes , quam ne christianorum Principum dextræ in fœdera coeant ; utpote qui ex eorum dissidiis propagandi imperii fines opportunitatem adepti , dissentientes opprēssere , atque dominatu exutos in extremas ærumnas , & calamitates conjecere ? Hac arte olim Byzantium , orientalis Imperii caput , discordiis atque contentionibus Principum discissum , in suam potestatem redegere : hac Græciam subegere ; Rempublicam , cujus ditiones late in orientem protendebantur , oscitantibus atque indormientibus christianis proceribus , magnis claudibus affecere . Quid enim Eubœam , quid Scodram , Epiri validissimam arcem , atque alia nobis erepta commemorem ? Sed nonnullos objecta quædam spes pacis a subscribendo fœdere abstrahit , atque ex Ragazzonii Byzantium profectio-
 ne , ex Mehemetis sermonibus concordiam iniri aliqua ratio-